

riusum erit in vobis. Quoniam ipse Dominus accipiet Regnum, & duodecim Tribus illic congregabuntur, & omnes gentes, usquequo Altissimus mittat suum Salutare in visitatione Unigeniti. Et ingredientur in primum Templum, (forte in anteriorem partem Templi) & illic Dominus injuriam patietur, & contemnetur, & ligno exaltabitur. Et erit velum Templi scissum, & descendet Spiritus Domini super gentes, ut ignis effusus est. Et ascendet ex Inferno, ascendet à terra in Cælum. Recordabitur quam fuerit humilis in terra, & quam gloriosus in Cælo.

Sola eorum locorum inspectio Christianum Authorem satis demonstrat; datur etiam suspicandi locus, num ipsissimus sit Testamenti duodecim Patriarcharum Scriptor, quod postremi hujus Operis Author in laudandis Libri Henoch testimoniis morositatem plus nimio affectet. Stili utrobique affinitas, barbarismus, & rustica Hellenistæ phrasis, Hebraismi frequentes utrobique, quibus vix unquam desuiceret Scriptor aliquis Judæus. Spectare hic licet traditiones & dogmata Synagoge, spectare Jesum Christum, ejus adventum, passionem, mortem, resurrectionem, ad Cælum ascensionem, ad Inferos descensum, S. Spiritus illapsum, Templi Jerusalem eversionem, dispersionem Judæorum, & æternum illud opprobrium, quo florentis jam gentis facies in pœnam necis Jesu Christo illata obducitur; hæc autem omnia historice magis quam propheticè expressa. Scripta hæc igitur credimus post factum, à Christiano quodam Authore, zelo quidem, sed non secundum scientiam, flagrante Christiana enim Religio nihil habet cum piis hisce fraudibus; solâ sui veritate ad homines pellicendos sat potens. Aliam inierunt viam Apostoli in Evangelii prædicatione; omni enim metu posito, Jesum Christum & hunc crucifixum prædicarunt (n), Judæis quidem scandalum, gentibus autem stultitiam; est autem Dei virtus & sapientia illis, qui fidei donum receperunt. Si ergo S. Judas legit Henochi Librum, paulò sanè postquam scriptus est in ejus manus devenit; non enim ejus epocham constituendam censemus, nisi post Templi per Romanos eversionem; qua pariter eversione multò recentiore Epistolam S. Judæ non arbitramur.

Præter Librum Henoch, de quo hætenus, & triginta illa volumina missa, uti quidem ferunt, à Deo ad Edræm, ac cæteros Astronomiæ Libros, quos Henoch supponunt Judæi, & de quibus nos eginus supra; sub ejus nomine Æthiopes volumina servant, de quo hic aliqua libanda, ne ex Operibus tanto viro adscriptis aliquod præteream. Gassendus in vita D. Peireski refert, Virum illum doctissimum cum rescisset à P. Agidio Lochiensi Capuccino, qui plures annos egerat in Ægypto, servari in ea regione Librum Henoch, literis Æthiopicis scriptum, Europæis nostris prorsus incognitum, nec sumptibus nec labori peperisse, ut illo potiretur. Post

eius obitum, transiit Ms. illud in Bibliothecam Cardinalis Mazarini, ac deinde in Regiam, in qua thesauri loco servatur.

D Ludolphus Lutetiam veniens (o) anno 1683. Ms. observavit, cujus ille famam audierat, atque Authorem Operis prodidit Bahadam Michaellem; esse autem asseruit Librum fabulis refertissimum, illi prorsus similem, qui sub Libri Henoch nomine laudatur à Syncello; quod postremum Opus Michael ille & excerptit, & fabellis de suo plurimis auxit; ita e. g. catalogum longè majorem instruit perniciosissimarum artium, quas discipulos homines perduelles Angeli docuerunt.

Legitur ibi pariter singularis Lucubratiō de otu Henoch, cujus Author inducit Angelum de mysterio SS. Trinitatis ita differentem, veluti si Theologus aliquis doceret in cathedra; ad mysterium illud relata loca quædam Scripturæ exponit; ex quo conjectura non levis Christianum Authorem prodit. Post hæc omnia refert certamen à S. Michaele cum Setnaele Principe Daemonum initum. Rideas profectò ad historiam duorum Imperatorum &, quæ illis parent, copiarum.

Setnael procerus est 100000. Angelicis cubitis, vastissimum præfert oris hiatus 40. cubitorum, faciem habet ita longam, ut diurni itineris viam exæquet; utriusque oculi supercilia intervallum duorum itineris dierum determinat; caput assurgit in montem celsissimum; oculos habet ita enormes, ut vertendis illis 7. dierum spatio sit opus; fluvium vomit ex ore cum expuit. Hoc specimen Libri Henoch, quem D. Peireskius tanto molimine ex Ægypto procuravit.

Ex dictis hucusque statuendum est, primò Henoch nullum facile scripsisse Librum, vel sanè nullum eorum, qui sub ejus nomine laudantur, viro summo debere. 2. Nihil certi asseri posse, an sententiam, quam sub nomine Henoch laudat S. Judas, è Libro Henoch, cujus supersunt fragmenta, decerpserit; seu potius Libri Author è loco S. Judæ struendi Operis sumpserit occasionem. 3. Librum Henoch non antea scriptum, quam post eversionem Templi Jerusalem per Romanos, nempe post annum 70. J. C. 4. Authorem illius esse Christianum ex Judæo; nec facile alium à Scriptore Testamenti duodecim Patriarcharum. 5. Opus illud nunquam in Canonem Judæorum vel Christianorum receptum fuisse. 6. Nihil certi affirmari posse, an Judæi Opus illud agnoverint; alterius enim esse argumenti videntur Libri Henoch, de quibus in Libris Zohar & Inchasim, ac Rabbinicis, alterius, inquam, ab Opere, cujus fragmenta leguntur apud Patres Græcos, & Latinos. 7. Vetusissimam obtinere apud Orientales traditionem de Henoch, tanquam Librorum Astronomiæ primo Authore; ex quo factum ut sub ejus nomine Libri plures vulgarentur. 8. Tandem Librum Æthiopicum ex Ægypto allatum, recentiore esse imposturam, contemptu dignam & oblivione.

o Comment. in histor. Æthyop. pag. 347.

n 1. Cor. 13.

FINIS.

TA.



# TABULA CHRONOLOGICA GENERALIS HISTORIÆ BIBLICÆ.

Anno Mundi I. Pe- riodi Juliana 710.		Anno ante- Chri- stum 4000. ante Æram vulga- rem 4004.
	<b>M</b> ateria, sive Chaos creatur.	
	I. Dies: Lux creatur.	
	II. Dies: Creatio Firmamenti.	
	III. Dies: Creatio maris, aquarum, plantarum, & arborum.	
	IV. Dies: Sol, Luna, & Astra creatur.	
	V. Dies: Creatio Piscium, & Avium.	
	VI. Dies: Creatio Animalium terrestrium, & Homi- nis. Bruta omnia coram Adamo à Deo producuntur, quibus Adam. nomina imponit. Dein è latere hominis mulier à Deo creata, eidem Adamo in uxorem traditur. Introducunt ambo in Paradisum terre- stre.	
	VII. Dies: Deus post absolutum creationis opus quiescens, requiem Sabbathi sanctificat.	
	X. Dies: Dæmon sub serpentis exuviis Evam tentat. Eva Dei præcep- tum transgressa, criminis sui consortem Adamum efficit. Ambo à Deo è Paradiso ejiciuntur, paucis post creationem diebus, & facile decimâ die.	
2	Oritur Cain filius Adami, & Evæ.	3999
3	Oritur Abel.	3998
129	Cain fratrem suum Abelem occidit.	3871
130	Seth, filius Adami, & Evæ nascitur.	3870
235	Enos, filius Seth, nascitur.	3765
325	Cainan, filius Enos, nascitur.	3675
395	Malaleel, filius Cainan, nascitur.	3605
460	Jared, filius Malaleel, nascitur.	3540
622	Enoch, filius Jared, nascitur.	3378
687	Mathusala, filius Enoch, nascitur.	3313
874	Lamech, filius Mathusala, nascitur.	3126
930	Adam, 930. annis natus, obit.	3070
987	Enoch, post exactos 365. vitæ annos, transfertur.	3013
1042	Seth, filius Adam, annis natus 912. moritur.	2958
1056	Noë, filius Lamech, nascitur.	2944
1140	Enos, annis natus 905. moritur.	2860
1235	Cainan, ætate grandævus 910. annorum, moritur.	2765
1290	Malaleel, annis natus 895. moritur.	2710
1422	Jared, annis natus 962. moritur.	2578
1536	Deus Noëcum admonens de futuro diluvio, ire jubet ad annunciandam hominibus poenitentiam, 120. annis antequam ipsum diluvium mittat. 1. Pet. 3. 20. & 2. Pet. 2. 5. Gen. 6. 3.	2464
1556	Japhet, filius Noë, natu major, oritur. Gen. 5. 31. & 10. 21.	2444

Sem

A. M.	478	Tabula Chronologica	A. Chr.
1558		Sem, alter filius Noe, nascitur.	2442
1651		Lamech, pater Noe, annis natus 777. moritur.	2349
1656		Mathufala post productam diutius, quam ceteri quique homines, vitam, annis natus 969. obit. <i>Gen. 5. 27.</i>	2344
1656		Deus Noemum monet, ut ad ingrediendum in Arcam se disponat, ad diem 10. secundi mensis, Novembri & Decembri respondentis.	2344
		Die 17. ejusdem mensis, Noe unâ cum uxore, & filiis, atque tribus uxoribus trium filiorum, in Arcam ingreditur.	
		Pluviae perpetuae super terram ruunt 40. diebus & 40. noctibus. Aquae 150. diebus terrae superficiem operiunt.	
		Die 17. septimi mensis Arca in monte Ararat confidet. Die primâ decimi mensis cacumina montium apparent. <i>Gen. 8. 3. 4.</i>	
		Post 40. dies Noe corvum dimittit. <i>Gen. 8. 6. 7.</i>	
		Post 7. dies columba ex Arcâ à Noe dimissa, statim regreditur.	
		Post 7. alios dies iterum dimissa, ad vesperam regreditur, virentem olivæ ramum in rostro tenens. Post alios septem dies avolans, iterum amplius non redit. <i>Gen. 8. 12.</i>	
1657		Noe, ætatis anno 601. primâ die primi mensis, tecum Arcæ reducit.	2343
		Die 27. secundi mensis Noe ex Arcâ egressus, Sacrificium eucharisticum immolat. Carnes in escam hominibus à Deo permittuntur. Deus nunquam se ultra diluvium universale immisurum, datâ in pignus fidei suæ. Iræ, pollicetur. <i>Gen. 8. 9.</i>	
1658		Arphaxad, filius Sem, nascitur.	2342
1663		Septem annis circiter post diluvium, Noe plantatâ vineâ, & largiùs epote vino; inhonesto corporis habitu in somnum resolutus, sub tentorio jacet. Cham patrem irridet; & Noemus è somno experrectus, in Chanaan filium Cham, 6. sive 7. annorum facile puerum, maledictum pronunciat.	2337
1693		Sale, filius Arphaxad, nascitur.	2307
1723		Heber, filius Sale, nascitur.	2277
1757		Phaleg, filius Heber, nascitur.	2243
1770		Circa illud tempus, homines ædificium turris Babelis aggressi sunt; sed Deus linguis eorum confusus, abstinere, atque in varias mundi partes se se dividere coegit.	2230
1771		Hic etiam exordium statui potest Monarchiæ Assyriorum per Nemrod <i>Gen. 10. 9. 10.</i> Post eum annum, usque ad captam ab Alexandro Magno Babylonem, 1903. anni numerantur; quæ annorum summa cum observationibus Chaldaeorum à Callisthene supputatâ congruit. <i>Porphyr. apud Simplic. l. 3. de Calo.</i>	2229
		Imperium Ægyptium circa idem tempus auctore Cham patre Mezraim cœpit. Duravit autem 1663. annis, usque ad captam Ægyptum per Cambysem. <i>Constant. Manass. in Annal.</i>	
1787		Rehu, filius Phaleg, nascitur.	2213
1819		Sarug, filius Rehu, nascitur.	2181
1849		Nachor, filius Sarug, nascitur.	2151
1878		Thare, filius Nachor, nascitur.	2122
1948		Aran, filius Thare, nascitur.	2052
2006		Noe, annis natus 950. moritur.	1994
2008		Abram, filius Thare, nascitur.	1992
2018		Sarai, uxor Abrami nascitur.	1982
2083		Abram in Ur Chaldaeorum vocatur; quare in Charras, sive Haran Mesopotamiæ se confert. Ibi Thare pater ipsius, annis natus 205. moritur. <i>Gen. 31. 31. 32.</i>	1917
2083		Abram in urbe Haran secundò vocatus, in Terram Promissionis unâ cum Sarai uxore suâ, & Loth nepote suo, se conferens, in Sichem sedem constituit.	1917
2084		Abram in Ægyptum descendit. Pharaon uxorem ipsius rapit: deinde viro restituit. Abram ex Ægypto egrediens, à Loth nepote suo dividitur.	1916
2091		Reges Sodomæ, & Gomorrhæ à Codorlahomor desciscunt.	1909
2092		Codorlahomor, unâ cum aliis sibi foederatis, in desciscentes à se Reges Sodomæ, Gomorrhæ, alioque, bellum infert. Rebellibus pralio victis, Sodomâ diripitur. Loth captivus ab hostibus deducitur. Abram illos infecutus fundit, ac receptâ prædâ Loth reducit. Melchisedech victori Abramo benedicit.	1908
		Dominus, inito cum Abramo foedere, florentem illi posteritatem pollicetur. <i>Gen. 15.</i>	
2093		Sarai famulam suam Agar in thorum viri introducit.	1907
2094		Ismael filius Abram, & Agar nascitur.	1906
2107		Novum foedus Dei cum Abram, & nova longè posteritatis promissio. <i>Gen. 17.</i> Deus nomen Abram in Abraham, & Sarai in Saram mutat. Abraham tres Angelos sub itinerantium figurâ hospitio recipit, à quibus	1893

A. M.	Generalis Historiæ Biblicæ.	479	A. Chr.
			2442
			2349
			2344
2108		Abraham, è valle Mambre digressus, in Bersabee venit.	1892
2115		Isaac, filius Abrahami, & Saræ nascitur. <i>Gen. 17.</i>	1885
		Sarai, uxo Ismaele cum Isaac ludente, pellere è domo Agar, & Ismaelem virum cogit. Agar Ægyptiam foeminam cum Ismaele conjugio copulat, ex qua Ismael plures genuit filios.	
2133		Fœdus Abrahami cum Abimelecho Rege Geraræ. <i>Gen. 21.</i>	1867
		Abraham filium suum Isaac in holocaustum Deo offerre parat. <i>Gen. 22.</i>	
2145		Sarai, uxor Abrahami, annis nata 127. moritur. <i>Gen. 23. 1. 2.</i>	1855
2146		Abraham Oeconomum suum Eliezer, ad postulandam filio suo Isaac uxorem, in Mesopotamiam mittit. Eliezer Rebeccam adducit. <i>Gen. 24. &amp; 25.</i>	1854
2150		Nuptiæ Abrahami cum Cerhurâ, ex qua plures filios genuit.	1850
2158		Sem, filius Noe, moritur, 509. annis post natum Arphaxad.	1842
2167		Rebecca, post longam 19. annorum sterilitatem, tandem, deprecante Isaac, concepit.	1833
2168		Jacob, & Esau nascuntur.	1832
2184		Abraham, annis natus 175. moritur.	1816
2187		Heber annis natus 464. moritur.	1813
2200		Isaac Gerarum concedit. Deus factas Abrahamo patri illius promissiones cum ipso innovat. Isaac fœdus init cum Abimelecho Rege Geraræ.	1800
2208		Nuptiæ Esau cum foeminis Chananaïs.	1792
2208		Diluvium Ogygis in Atticâ 1020. annis ante primam Olympiadem.	1792
2231		Ismael, filius Abrahami natu major, annis natus 137. moritur.	1769
2245		Isaac imprudens Jacobo pro Esau benedicit.	1755
		Jacob in Mesopotamiam ad avunculum suum Labanum concedens, Liam primam, deinde Rachelem ducit.	
2246		Ruben, filius Jacobi, & Lia nascitur.	1754
2247		Simeon, filius Lia, nascitur.	1753
2248		Levi, filius Lia, nascitur.	1752
2249		Juda, filius Lia, nascitur.	1751
2259		Joseph, filius Rachelis, & Jacobi nascitur.	1741
2265		Jacob reditum ad parentes suos in Chanaanidem statuit. Abeuntem Laban profectus in montibus Galaad assequitur. Esau obviam venienti progressus, amicissimè illum recipit. Jacob in Sichem pervenit.	1735
2273		Dina, filia Jacobi, solemnitates Chananaeorum spectans, à Sichem filio Hemor rapitur. Acceptam injuriam fratres Dinæ nece Sichemitarumulti sunt.	1727
2273		Benjamin, filius Rachelis, nascitur.	1727
2276		Joseph, annis natus 17. fratrum crimina ad patrem denunciat; quare invidiâ in se fratrum concitatâ, pretio ab illis divenditus, in Ægyptum adductus est, ubi mancipii loco à Putiphare emitur.	1724
2276		Circa ea tempora Juda ducit filiam Sue Chananaï, ex qua Her, Onan, & Selam genuit.	1724
2286		Joseph ab uxore domini sui Putipharis ad crimen sollicitatus, resistens, in carcerem detruditur.	1714
2287		Somnia duobus Præfectis Regis Pharaonis Joseph interpretatur.	1713
2288		Isaac, annis natus 180. moritur.	1712
2289		Joseph somnia Pharaonis interpretatus, è carcere liberatur, & totius Ægypti præfecturâ donatur.	1711
		Exordium septem annorum ubertatis prædictæ à Josepho.	
2290		Manasse, filius Josephi, nascitur.	1710
2291		Ephraim, alter filius Josephi, nascitur.	1709
2296		Exordium septem annorum sterilitatis prædictæ à Josepho.	1704
2297		Decem fratres Josephi ad frumentum comparandum in Ægyptum veniunt. Joseph, retento in custodiam Simeone, ceteros eâ conditione dimittit, ut fratrem suum Benjamin natu minorem ad se adducant.	1703
2298		Fratres Josephi in Ægyptum regressi, Benjamin adducunt. Joseph se tandem fratribus prodens, in Ægyptum migrare illos unâ cum patre cogit. Jacob eò cum totâ familiâ se confert.	1702
2300		Joseph pecuniam ex universâ Ægypto collectam, in Regia Æraria inferi	1700
2301		Joseph, omnes Ægypti greges, quos Ægyptii, ut escas sibi compararent, divendere coacti sunt, Regi emit.	1699
2302		Ægyptii agros suos omnes, suamque libertatem pro recipiendis escis Pharaoni vendunt.	1698
2302		Finis septem annorum sterilitatis. Joseph greges, & agros Ægyptiis restituit, eâ conditione, ut quantam omnium proventuum partem Regi pendant.	1698